FRANC.

HOTOMANI

IVRISC.

IN TIT. COD:

DE IVDICIIS

Commentarius.

BASILEAE,

PER EVSEBIVM EPISCOPIVM,

& Nicolai frat. hæredes.

CIↃ IↃ LXXVI.

NOBILITATE, VIRTVTE ET DIGNITATE PRAESTANTI VIRO, D. CASPARI A Danvvitz in Ionſdorff, &cæt. Sereniſsimorum Archiducum Auſtriȩ, ac Burgundiæ Ducum, Matthiæ & Maximiliani, Camerario,

FRANC. HOTOMANVS Iuriſc. S. D.

QVàm gratæ & ſuaues ac iucundæ mihi nuper tuæ literæ fuerint, Danvvitzì nobiliſsime, ſi minus ex priſtino & perenni meo erga te animo(quem paternum appellas) exiſtimare potes: documento tibi noſtrum hoc munuſculum eſſe poterit: quod non modo tibi, cuius indolem mirificè adamaui, verum etiã Academijs noſtris omnibus monumentũ exſtare uolui, ſingularis mei de tua præſtanti uirtute, atq; ingenij probitate, & ſuauiſsimis moribus, iudicij. Dices fortaſſe, mirũ eſſe, quòd hac ætate ingraueſcente, tot præſertim ærumnis & calamitatibus iactatus, neq; modum neq; finẽ ſcribendi faciam. Sanè cum ad quietem me ualetudo & ætas uocat, tum uerò etiam defatigatio quædam: præſertim hoc ingrato ſeculo, quo, ſi poſt tot pugnas & certamina, coronam nul-

lam merui, rude certè donari tot plagis, ijs que insignibus, affectus, debuisse uideor.

Cædimur (inquit Flaccus) inq; vicem plagis consumimus hostem.

Lento Samnites ad lumina prima duello. *quod præsertim ex eius libelli editione sensi, quem triennio antè afflictissimæ patriæ subleuandæ causa in vulgus edidi, qui quantũ mihi ab Alastoribus nostris, & eorum palpatoribus, ac sycophantis, togatiq; vulturijs odij conciliarit dici vix potest. Veruntamen Alcibiadis more exclamare licet, cùm illum Euribiades sublato scipione loqui vetaret: πάταξον μὲν, ἄκουσον δέ: Feriant igitur sycophantæ, & me tamen audiant: sed posteritati, iudici incorruptæ, integrum de fideli meo erga patriam animo iudicium relinquant. Sed redeo ad institutum. Te in Illustrissimorum Principum comitatu florere ac vigere, vehementer gaudeo: tibiq; ac patriæ Silesiæ gratulor, cui non mediocre ex hac tua dignitate ornamẽtum accedit. Quod ut me ex animo fecisse intelligas, libellum hunc de Iudiciorum ritu atq; ordine à Iustiniano Imperatore instituto, tibi dicamus, ac dicatum dono mittimus: vt cùm me tibi nullo meo merito tam carum esse intelligam, tu quoque vicissim hanc mei erga te fidelissimi atque*

que

que amantißimi animi significationem habeas. Vale nobilißime Danvuitzi, frater & amice integerrime: & Generosiss. Baronem Streinnium, virumq; amplißimum D. Cratonem meis verbis honorificè saluta. Deum oro, ut tua studia spiritu sancto suo gubernet: ac generosum tuum animum singulari sua beuolentia complectatur. Ex Musæo nostro, X. Kalend. Septembr.

CIϽ IϽ LXXVI.

FRANC.
HOTOMANI
IVRISCONSVLTI

IN TIT. COD.
DE IVDICIIS
Commentarius.

Ad l. 1.
Imp. SEVERVS & ANTON. AA. Clementi.

Iudicio cœpto, vſurarum ſtipulatio eſt perempta. ſupereſt igitur, vt debitorem eius temporis, quod non eſt in iudicium deductum, conuenire poſſis. PP. Kal. April. Antonio II. *& Geta* II. *Coſſ.*

IVDICIO cœpto, utrũ uſuræ conſiſtant, an eo pendente nihilominus currant? Primùm intelligendum eſt, incipere dici iudiciũ per litis conteſtationẽ. l.1.C.de lit. conteſt. Itaq; utrum cœptum an acceptum iudicium dicatur, nihil intereſt. l. aliam, 29. D. de nouat. l. ſi poſt acceptum, 18. & l. præterea. 20. D. de rei uind. deinde per litis conteſtationem iudiciumq; inſtitutum nouationem obligatio-

nis fieri: non tamen in substantia, sed in forma. neq;.n. nouam obligationem inducit, ut nouatio quæ uoluntaria dicitur: sed eam, quę alioqui peritura erat, producit ac perpetuat: l. nam postea, 9. §. 2. D. de iureiur. l. ult. D. de fideiuss. tut. d. l. aliã, 29. D. de nou. l. 1. l. 2. l. 3. D. de ferijs. quia litis cõtestatio non deteriorẽ, sed meliorẽ contestantis caussam facit: l. nemo litẽ. D. de reg. iur. l. ordinata, 24. D. de lib. caus. atq; ita interpretanda est l. ult. C. de dol. ut ex Codicis Theodosiani collatione intelligitur. Nunc caussæ constitutio ita fingenda est: Creditor cui mille, sortis: centum usurarum nomine debebantur, uniuersam illam summam à debitore petere instituit. Lis ad sex menses producta est. Damnato debitore, in mille & centum duntaxat, quæritur, an creditor iterũ alio iudicio usuras decursi pendẽte iudicio temporis postulare posit? D. C. E. ut illę usuræ nõ deberi uideãtur: quia cùm per iudicium acceptũ obligationis nouatio fiat, exstincta usurarũ obligatio uidebatur, quæ sine expressa stipulatione nõ debentur: l. 1. l. 3. C. de usur. l. 6. C. si cer. pet. C. T. R. licere creditori altero iudicio, interpellatiõe, instantia debitorẽ eius tẽporis, h. e. sex mensium, quod nõ est in prius illud iudiciũ deductũ (h. e. cuius summæ mentio in illa actione facta nulla est) cõuenire. nã ultra id quod in iudicium deductũ est, excedere prioris illius

iudi-

iudicis poteſtas non potuit: l.ut fundus, 18. D.com. diuid. neq; ea quæ poſt litem conteſtatam eueniunt, ad eius iudicium pertinent: ideoq; noua interpellatione opus eſt: l.non poteſt, 23.D.de iud. Neq; obſtat ſuperior obiectio: quoniam alia eſt uoluntariæ, alia neceſſariæ nouationis ratio. Quæ uoluntariè & legitimè facta eſt, ueteris obligationis eſſentiam exſtinguit: l.1.D.de nouat. ac proinde etiam uſuras ſiſtit. l. nouatione, 18. D.eod. At quæ per acceptum iudicium contingit, formã tantùm, ut diximus, immutat: ueluti, ut ex temporali perpetuam faciat: l. ult.C.de præſc.trig.annor.ac proinde uſuras non ſiſtit. l.lite, 35. D. de uſur. Atq; hanc eſſe legis huius ſententiam, qui Latinæ linguæ & cõſuetudinis periti ſunt, facilè intelligũt. Græci uerò interpretes, non modò iuris, uerumetiã ſermonis Romani plerunq; imperiti, lib.Baſil.24. legem hanc abſurdè ita conuerterunt: μεθόδευσον τὸν χρεώστην τοὺς τόκους, οὓς οὐκ ἀπῄτησας. οὐ γὰρ ἐσβέσθαι ἡ τούτων ἀγωγὴ τῇ προκατάρξει τοῦ κεφαλαίου. Conueni debitorẽ in uſuras, quas non petijſti. neq; exſtincta eſt earũ actio per litem de ſorte conteſtatam. quæ non iſtius legis ſententia eſt, ſed potius l.cũ ſtipulanti, 90.D.de uerb.oblig. Neque enim uerba illa: Eius temporis, quod non eſt in iudicium deductum, ad totas uſuras ſignificandas conueniunt: alioqui dicendũ fuiſſet, Eius fœnoris.

Pomponij, aũt ratio in d.l.cum stipulati, perspicua est: quoniam in strictis iudicijs alia est sortis, alia usurarum obligatio. ac proinde unius petitio alteri non præiudicat: l. si in iudicio, 23. D. de excep. rei iud. Verùm in bonę fidei iudicijs uno eodemq; iudicis officio, tũ in sortem, tum in usuras condemnatio fit. l.1.D.de usur.l.4.C.depos. adeò, ut quamuis adiectæ in condemnatione non sint, si appellatum non sit, peti nouo iudicio non posint, l.in bonæ, 13. C.de usur. Sin autem appellatio est, utilis actio usurarum, quæ interea cucurrerunt nomine conceditur. l. negotiorum, 24. D. de appell.l.ult.D.de re iud. Quod si mutuo subiũcta fœneratio est, prior obligatio re contracta est: altera uerbis. si utrumq; una stipulationis formula cõprehensum est, tamen tot sunt stipulationes, quot res. quinetiã stipulatio sortis, certa est: usurarũ incerta. l. centũ, 8. D. de eo quod cer. loc. l. ubi aũt, 75. §. pen. D. de uer. obl. ac ꝓinde altera certi, altera incerti cõdictione petẽda est

Ad l.2.

Iidem AA. Valerio.

Licet iudice accepto cum tutore tuo egisti, ipso tamẽ iure actio tutelæ sublata nõ est: & ideò si rursus eundẽ iudicem petieris: contra utilem exceptionem rei iudicatæ, si de specie, de qua agis, in iudicio priore tractatum non esse allegas,

allegas, non inutiliter replicatione doli mali utêris. PP. VI.*kal.Ian.Faustino & Rufo Coss.*

An actio generalis ob certam speciem,quę in prius iudicium deducta nõ est, referri poss sit. nam una eademq; actio plures interdum species cõplectitur: l. si qui separatim, 10.§.1. D.de appel.l.1.§.itẽ cũ.D.quæ sent.sin.appel. l.etiamsi,29.§.1.D.de minor.D.C.est ex l.5.6.7. 12.& seqq.D. de excep. rei iud. ubi de ijsdem reb. agi nõ licet, ne mutata quidem actionis formula.l.4.§.si seruus.D.de nox.act. quã legem Quintil.his proponit uerbis:Bis eadem de re actio ne esto: lib.7.cap.6. Vnde illa pręscriptionis formula apud Cic.lib.5.de fin. de eadẽ re agit alio modo: Vt aũt eadem res dicatur,quatuor cõiunctim requiruntur. Idem corpus,idem ius,eadem quantitas,&eadem caussa.l. cũ quær.12. D.il.tit.ubi in generali actione,species omnes cõprehensę intelligũtur,l.3.& l.si qs,7. §.pen.& §.ult.eod. ubi qui petitionẽ hereditatis egit, agere postea nec de reb.singulis,nec de debito hereditario potest. Cùm aũt tutelæ actio generalis sit,l. pro socio,38.D.pro soc. iniquũ uidebatur, eandẽ postea ob certã aliquã speciem referri: ut in l.1.§.pen.D. de tut. & rat.cùm actio tutelæ in iudicium deducta est, specialis actio rationibus distrahendis consumpta intelligitur. & l. 1. C. si aduers. rem iud. ubi actio tutelæ

à maiore

à maiore instituta, ob id quod minus quàm dari oportuit, consecutus est, nō retractatur. Sicut autem eadem de re eadem actione uti non licet, sic ne pluribus quidem. Est enim regula iuris, ut plures una ex caussa actiones non concedantur: l. nemo ex ijs, 43. §. 1. D. de reg. iur. l. quod in herede, 9. §. 1. D. de tribut. act. l. ult. C. de codicill. l. qui seruum, 34. D. de obl. & act. C. T. R. quoniam aliud est, bis eadem de re actionem intendere, quod lex uetabat: aliud, bis eandem actionem de reb. diuersis intendere, quod lex nulla prohibet: eiusq; rei exemplum exstat in l. Lucius, 47. §. tutelæ. D. de admin. & per. tut. nam id demum in iudiciū deduci intelligitur, de quo & litigatores & iudex senserunt: l. si ex testamento, 20. & l. seq. D. de excep. rei iud. quod idem de transactione generali traditur in l. 3. C. de transf. l. qui cum tutorib. 9 §. 2. D. eod. l. tres fratres, 35. D. de pact. Summa igitur hæc constituatur, de re eadem neq; plures actiones, neq; bis una eademq; actio institui potest. de diuersis rebus & diuersę actiones, & una eademq; bis institui potest: l. 5. D. de excep. rei iud. Certis autem de caussis eisdem de rebus agi licet, ueluti ob iustum errorem: l. habitat, 13. D. de inst. act. l. 1. §. ult. D. quand. de pecul. act. l. 4. §. ult. D. quod cum eo, qui in al. Item, cùm exceptio in priore iudicio temporalis fuit, d. l. 1. §. ultim.

Ad l. 3.

Ad l. 3.

Imp. ALEXAND. A. Faustinæ.

Quoties quæstio status bonorum disceptationi cõcurrit, nihil prohibet, quò magis apud eum quoq;, qui alioquin super causa status cognoscere non possit, disceptatio terminetur. PP. VI. Idus Februar. Iuliano II. & Crispino Conss.

An iudicium de re pecuniaria institutum propter incidentem status quæstionem sustineri debeat? id est, an tantisper differendum sit, dum caussa liberalis ad exitum perducta sit. Primùm illud scire oportet, caussas status, quæ de capite sunt, non cuiusuis iudicis, ac ne magistratus quidem, notioni permissas fuisse. l. non distinguemus, 37. §. de liberali. D. de recept. Stante republ. de ijs Decemuiri cognoscebant: auctore Marco Tullio in Oration. pro Cæcin. & pro Dom. quibus, ut opinor, Prætor urbanus præerat: arg. l. iudicata, 29. D. de excep. rei iud. l. Titius 44. de act. empt. l. 8. D. de probat. l. 3. D. de lib. exhib. postea Consulib. permissum fuit, de caussa status cognoscere: l. 4. D. si ingen. esse dic. l. si rogatus, 20. D. de manum. uind. qui tamen iudicum nomine significantur, in l. illud, 16. D. eod. sicut in l. diui. 27. D. de lib. caus. qui in inscriptione Consules, ijdem §. 1. Iudices

dices appellantur. Idemq; animaduertere licet in l. si quis, 5. D. de agnosc. lib. Itemq; prouinciarũ præsidib. d. l. 4. & l. pen. C. ubi caus. stat. agi deb. l. 1. C. de ord. cog. l. 2. C. de pedan. iud. Neque obstat l. 1. C. de ord. iud. quæ etsi præcisè scripta est, tamẽ intelligenda est, nõ de præside, sed de iudice à præside dato: ut de hereditate cognosceret. Postea Diocletianus statuit, ut procuratores Cæsaris, & magistri priuatæ rei de seruitute & libertinitate cognoscerẽt. l. pen. C. ubi causs. stat. cùm id Decio imperante nõ liceret. l. 2. C. eod. Ad extremum Constantius notionem illam omnem prætorib. attribuit. l. 1. C. de off. præt. Cõstat igitur pedaneis iudicib. de caussa status neq; principaliter, neq; incidẽter statuere licuisse: quamuis priuatas disceptationes continere dicãtur. in l. qui calumniatorem, 5. C. de calumn. Qùòd cùm ita sit, dub. caussa in l. nostra hæc erit: quia cùm ius rerum ex personarũ iure, statu & conditione pendeat: uulg. l. 2. de stat. hom. §. 1. de iur pers. præposterum uidetur, de iure rerum ante ius & statum personarum disceptare. Deniq; hic ordo cognitionũ appellatur: & iuris forma, & iuris ordinarij ratio. in l. 1. & pass. C. de ord. cog. idemq; etiam in criminalib. obseruari, testimonio est l. quoniam, 26. C. de adult. & l. præsens, 8. C. ad leg. Flau. de plag. Et idcircò caussæ status præiudiciales actiones appellan-

pellantur: §. præiudiciales, de action. C. T. R. quoniam, aliud est, cognoscere sententiæ pronuntiandæ caussa: l. de qua re, 74. D. de iud. aliud, cognoscere obiter & incidenter: non de eo pronuntiandi caussa, ut in l. 1. C. de ord. iudic. ubi iudex hereditatis de uniuersa incidente quæstione, quæ in iudicium deuocatur, examinare iubetur: quoniam non de ea, sed de hereditate pronunciaturus est. quod eodem modo dicendum est in hac lege: ubi iudex pedaneus non cognoscit de caussa liberali, pronuntiandi caussa. quippe, cùm eius notio non esset, sed obiter duntaxat, & quatenus ad principalis negotij cognitionem & euidentiam pertinet. Vetus autem Doctorum quæstio, An iudex de incidente quęstione statuere posit, eruditis hominibus indigna est: mihiq; Bulgari sententia certissima uidetur: ut cognoscat quidem, sed non ut de ea pronuntiare possit: d. l. 1. C. de ord. iudic. neque ad rem pertinet: l. de qua re, 74. D. de iud. quam Martinus & Pileus urgebant. Iudices enim à prætore dabantur, quibus in constituendo iudicio certa de re iudicandi potestatem dabat. Neque iudex ulla alia de re, quàm quæ nominatim in iudicium deducta erat, statuere poterat. l. ut fundus, 18. D. commun. diu. Itaque neque ea quæ ante, neq; ea quæ post iudicium

consti-

constitutum : id est, litem contestatam eueniunt, ad eius iudicium pertinent. l. ædiles, 25. §. sciendum. D. de ædil. ed. l. nō potest, 23. D. de iud. l. si reus, 73. D. de procur. Vnde præclarum illud Cic. lib. 2. Academic. Iudices priuatarū rerum hac formula usos fuisse, SI QVID MEI IVDICII EST.

Ad l. 4.

Idem A. Popilio.

Si cùm tibi pretium prædiorū à curatorib. cōparatorū reputaretur, & instrumēta emptionis traderentur, quæstionem omissæ euictionis non mouisti: intelligis semel finitam litem instaurari non posse. PP. Kalendis August. Modesto & Probo Conss.

An actio negotiorum gestorum, qua curator semel absolutus est, iterum ob euictionē omissam instaurari possit? Caussa autem ita constituenda est. Cùm adolescens negotiorum gestorum actione aduersus curatorem suū egisset, curator ei empti prædij pretium imputat, cuius nomine dupla stipulationem omiserat. Creditor rationibus redditis iudicio absolutus est. aliquantò pòst adolescenti fundus euincitur. Quæritur, an ob omissá euictionem instaurare aduersus curatorem illam negotiorum gestorum actionem possit.

fit. D.C.E. ut posse uideatur, decisio l.2. s̄.h.t. dubitationem auget, l. Lucius, 47. §. tutelæ. D. de admin.tut. itemq́; l.de rebus, 48. D.de arbit.ubi species in generali arbitrio per imprudentiam omissæ, altera actione peti possunt. C.T.R. quoniam adolescens potest actione ex empto, uel simplum cum eo quod interest, uel duplum pretij & accessionis ab auctore consequi. l.uindicantem, 17. l.euicta, 70. D. de euict. Continet igitur h. l.exceptionem ad l. 2. s̄.h.t. ut generalis actio ob speciē omissam instaurari non possit, si qua alia ratione & actione ordinaria is, qui læsus est, suum recuperare possit.

Ad l. 5.

Imp. GORD. A. Marcello.

A iudice iudex delegatus, iudicis dandi potestatem nō habet, cùm ipse iudiciario munere fungatur: nisi à principe iudex datus fuerit. PP. IIII. Nonas Septembr. Pio & Pontiano Coss.

An iudex ab alio iudice delegatus alterius iudicis dandi potestatem habeat? Primùm autē illud scire oportet, iudicis nomine plerunq; in libris nostris eum significari, quem magistratus priuatæ alicui controuersiæ dis-

ceptandæ præposuit, qui modò Delegatus, modò Addictus, modò Datus, modò Pedaneus: in prouincijs uerò Comes uel Assessor nominatur. Nam magistratus pleriq; militares erant, & iuris imperiti. ut ĩ. l. pen. exponetur. Assessores autem è corpore iuris studiosorum deligebantur, & iuris ac legum scientiam præstabant. l. 2. D. quod quisq. iur. Itaq; in libris nostris iudex datus distinguendus est ab eo, qui eum pro sua iurisdictione delegauit: ut l. cum prætor, 12. l. cum furiosus, 39. l. cũ iudex, 46. D. de iud. iudicis porro delegati sententiam exsequebatur is, qui eum delegarat. l. à diuo Pio, 15. D. de re iud. Interdũ tamen (idq; raro) generali nomine iudex dicitur etiam magistratus: ut apud Liu. lib. 3. ubi scribit, antiq iuris fuisse, ut Prætor iudicis nomine appellaretur: & in Rub. de iurisd. omn. iud. Item de reb. auct. iud. posside. & l. 1. D. de iudic. & l. comites, 5. D. ad leg. Iul. repet. l. 5. C. ex quib. caus. infam. irrog. l. in multis, 25. C. de appell. Atque ita iudicis nomen in huius legis initio sumendum est: quæ alioqui propter homonymiæ importunitatem obscura uideri posset. Iudicis autem dandi potestatem hi habuerunt: primùm, magistratus omnes cuiusuis ordinis: l. eum qui, 13. D. de iurisd. l. ult. D. qui & à quo. appel. ueluti prætor. l. cum prætor, 12. D. de iudic. & proconsul. ead. l. & præfectus prætorio l. 1. D. qui

& à

& à quo appell. Item præfectus urbi, & omnes deniq; Romæ magistratus, d. l. cũ prætor, & l. ult. D. de off. præf. urb. & d. l. 1. D. qui & à quo. Quinetiam præses prouinciæ his annumeratur. l. 5. D. de off. præs. & l. ex consensu, 23. D. de appell. Diocletiani tamen lege non aliter iudicem dare possunt, nisi eos uel occupationum grauitas, uel caussarum multitudo impediat. l. 2. C. de pedan. iud. Quare qui magistratus non sunt, iudicis dandi potestatem non habent: ueluti præfectus annonæ, præfectus uigilum, quos magistratus non esse, testis est Pomp. in l. 2. D. de orig. iur. Itẽ procurator Cæsaris, nisi principis uice fungatur. l. 1. C. de ped. iud. uel partibus præsidis. d. l. ex consensu, 23. D. de appellationib. Cum uerò iurisdictio mandatur, quoniam tum demum proprium aliquid habet, iudicis dandi potestatem adipiscitur. l. legatus, 12. cum l. seq. De off. proconf. Deinceps uidendum est, quænam in hac lege dubitandi caussa fuerit, An delegatus delegandi alterius potestatem habeat. Nam plerũq; cui negotium aliquod mandatum est, ei negotium illud alteri mandãdi potestas conceditur, ueluti tutelæ administratio. l. ita autem, 5. §. 1. D. de admin. tut. Item, mandator, & procurator. l. si procuratorem, 8. D. mand. l. neque tutores, 11. C. de procurat. C. T. R. cuius rescripti duplex est æquitas,

quarum primam Imperator ostendit, his uerbis: Cum ipse iudiciario munere fungatur. quippe, ita sibi imposito, ut personę delectus haberetur. Est autem regula iuris, ut quoties negotium cũ personæ delectu & electa ipsius industria mandatum est, mandare ipse alteri non posfit uulg. l. inter artifices, 31. D. de solut. & l. 1. §. ne autem. C. de cad. toll. l. pen. §. 2. D. de diu. & temp. præse. Itaq; cui mandata iurisdictio est, eam alteri mandandi potestatem non habet: l. ult. D. de off. eius cui iurisd. mand. sic qui arbiter ex compromisso datus est, transferri in alium arbitrium nõ potest. l. non distinguemus, 32. §. quæsitum. D. de recep. arb. & ob eandem caussam in l. 4. C. de pedan. iud. si Iudex pedaneus grauiorib. occupationibus distringatur, non ipse alterum delegare poterit, sed per magistratũ id, à quo ipse delegatus est, fieri oportet. Altera decidendi ratio est, quod cum iudicis delegati potestas à magistratu definita & circumscripta sit, ut ea demum de re iudicet, quæ à magistratu ei præscripta est: l. ut fundus, 18. D. commun. diu. l. ædiles, 25. §. sciendum, 4. D. de ædil. ed. l. 1. C. si à non compet. iud. factum à iudice quod ad eius officium non pertinet ratum non est, l. factum, 170. D. de reg. iur. Excipitur tamen hac lege iudex à Principe delegatus. quippe, qui uice Principis fungi, iudicare, cognoscere dicitur.

citur. l. 3. C. si aduers. rem iud. l. 3. C. ubi senat. ager. & l. ult. C. de mod. mult. l. minor autem, 18. D. de minor. Sic in l. 1. C. qui pro sua iurisd. Iudices ab imperatore delegati alijs caussas delegare possunt. nam interdum iudex à principe sic datur, ut ab eo non appelletur. l. 1. D. à quib. app. non lic. Nihil autem huc pertinet. l. legatus, 12. De off. proconf. ubi legatus mandata sibi iurisdictione iudicis dandi potestatem habet. nam primùm quod eam Doctores huic legi opponebat, iam pridem Florentinis libris editis, repudiatum est: cum in his affirmatè legatur. deinde quia legatus mandata sibi iurisdictione propriam sibi illam habere dicitur: in l. seq. Itaque à legato proconsul appellatur. l. 2. Quis & à quo, alioqui proconsul à se ipso appellari uideretur. Qua de caussa cui prętor iurisdictionem mandauit, ab eo ipse non appellatus.

Ad l. 6.

Idem A. Iuniæ.

Seruus in iudicio interesse non potest: nec si condemnatio aliqua in personam eius facta sit, quod statutum est subsistit. Dat. XV. Kal. Septemb. Gordiano A. & Auiola Coss.

An sententiæ contra seruilem personam latæ ulla uis sit. D. C. ut aliqua uis esse uideatur: quoniam cùm aduersus filiosfa. tum ex contractibus, tum ex delictis actiones competant, ac proinde res iudicentur: l. tam ex contractib. 57. D. de iud. l. filiusfa. 39. de obl. & act. eadem seruorum quę filiorumfa. ratio esse uidebatur: quãdoquidem, ut dominorum in seruos, ita patrũ in filios ius uitæ & necis fuit. l. 2. l. 3. D. de his qui sunt sui uel al. iur. l. in suis, 11. D. de lib. & post. C. T. R. Quia serui iuris Quiritium. i. ciuilis, planè expertes sunt. l. in ijs, 17. D. de reg. iur. qua de caussa nulla cum seruo actio est: l. cum seruo, 107. De reg. iur. nullum inter seruum & liberum consistere iudicium potest, l. ult. C. de nox. act. nulla serui in ius uocatio est, l. 3. D. ne quis eum, qui in ius uoc. & si fortè damnatus esset, iudicati aduersus eum nulla daretur actio. l. 3. §. si seruus, D. de pecul. Atque hæc quidem de seruo, siue dominorum, siue aliorum omnium respectu. Filij fa. diuersa caussa est. nam quantum ad alios, certum est illũ ex suo contractu teneri: & non modò, dum in potestate manet, conueniri & damnari posse: l. 3. §. idem scribit, & l. si quis cum filio, 44. & l. seq. D. de pecul. uerùm etiam inuito patre ex condemnatione conueniri: l. 3. §. sed utrum. D. de minor. ac multo magis posteaquá sui iuris factus est. l. si ex alio,

8.C. quòd cum eo, qui in al. Quinetiam dum in poteſtate eſt, ſi damnatus iudicatum facere non poſsit, corporalem pœnam ſubit, atq; iniuriã patitur: ut ait l. pen. C. qui bon. ced. poſs. hoc eſt, congrua ſuppliciorum acerbitate coercetur. l.1.C.Th.ill.tit. & Nou. 135. & l. ult. D. quæ in fraud. cred. l. ob fœnus, 49. D. de adm. tut. Atq; hæc quidem de filijs fa. quatenus ad extraneorum negotia & contractus pertinet. Quãtum autem ad patrem cuius in poteſtate ſunt, diſsimilis ratio eſt. Certum eſt enim inter patrem & filium fa. nullam actionem eſſe, niſi ex caſtrenſi peculio, l. 4. D. de iud. propter Principum conſtitutiones, quæ in eo peculio filio fa. ius patris fa. tribuunt, l. 4. D. de pecul. in cęteris reb. neque manẽte patria poteſtate, neq; poſt litis cõteſtationẽ quęſita, cõſiſtere lis poteſt: l. ſi à me 11. D. de iud. niſi fortè filius in poſſeſsiõe ſuæ poteſtatis eſſet. l. ſi putas, 6. C. de pet. her.

Ad l. 7.

Imp. DIOCLET. & MAXIMI. AA. & CC. Hyrinæ.

Cũ debitoris tui ſeruũ tibi pignoris iure obligatũ, bona domini ſui quondã rebus humanis exempti tenere pſiteaxis: aduerſus eũ dari tibi actiones cõtra ius poſtulas: ſiquidẽ inter ſeruũ et liberũ cõſiſtere nullũ poſsit iudiciũ. Ad poſſeſſionem itaque pignorum, magis officio iudicis

venire te conuenit, quàm illicita postulare.
S. XIIII. *Kalend. Maij, Sirmij,*
C C. *Coss.*

Si seruus pigneratus domino mortuo res alias pigneratas teneat, quemadmodũ creditori succurratur? D.C.E. ut aduersus seruũ instituẽda hypothecaria actio uideatur, quoniam actio illa aduersus quemlibet possessorem comparata est: ut ab eo possessionem auocet. l. 2. C. si unius de plurib. c. si cum uenditor, 66. D. de euict. Neque obstare uidebatur, quòd superiore lege dictum est, seruis nullam esse cum iure ciuili communionem: propterea quòd hypothecaria hæc actio non ciuilis, sed honoraria est: §. item seruiana, de actionib. C. T. R. quoniam serui non minus prætorij, quàm ciuilis iuris expertes sunt, l. qui testamento, 20. §. seruus. D. qui testam. fac. poss. l. 1. D. de iur. delib. atque adeò etiam extraordinarij, l. nullo, 7. D. ad leg. Corn. de fals. aut igitur aduersus debitoris heredes instituenda hypothecaria actio est, qua & serui & aliarum rerum possessio auocetur: ut in d. l. uenditor, 66. D. de euictionib. aut, si heres non exstet, eadẽ possessio ab eo qui iurisdictioni præest, postulanda est: ut eas proscribere, & cõstituta actiõe distrahere liceat, l. 3. C. de pignorib. l. si in hoc, 13. C. de distr. pign. l. pen. C. de pign. act.

Ad

Ad l.8.

Imp. CONSTANT. & LICIN. AA. ad Dionysium.

Placuit in omnibus rebus præcipuam esse iustitiæ æquitatisq; quàm stricti iuris rationem. Datum Idibus Maij, Volusiano & Anniano Coss.

In iuris æquitatisq; cõtentione, utrius maiorem à iudice haberi rationẽ oporteat? Quã quæstionẽ propriè ac peculiariter ad iudices pertinere, ex Rubricæ argumẽto intelligitur. Aequitas passim in libris nostris iuri opponitur: ut in l.1.C. de legib. l.4. C. de edend. l. epistola, 52. in fi. D. de pact. Vnde illud Vlp. Aequitas suggerit, etsi iure deficiamur: l.2. §. quanquam. D. de aq. & aq. pl. Item æquitatis benignitas iuris rationi opponitur: l. nulla, 25. D. de legib. Item bonum & æquum iuris scripti rationi. l. in ijs, 16. D. de cond. & dem. Nusquam autem, quod sciam, æquitatis scriptæ mentio fit: rectissimeque Duarenus ex antiquorum Codicum auctoritate uocem SCRIPTAE ex h.l. sustulit. Est autem ius, præcisè, uel coniunctè, ius summum, uel strictum, quod restrictè ad uerborum præscriptum dirigitur: & tanquam ad uiuum resecatur. unde illud Celsi adolescentis in l. si seruũ, 91. §. 2. de uerb. obl. in quæstionib' de bono & æquo plerũq; sub auctori

tate iuris ſcientiæ perniciosè errari. Hinc uetus prouerbium, Summum ius, ſumma iniuria: & laudatio Ser. Sulpitij iuriſconſulti, Phil. 9. quòd non magis iuris, quàm iuſtitiæ, conſultus eſſet, & ius ciuile ad æquitatem & facilitatem referret. Quod etiam Paulus noſter commendat in l. pen. D. ad exhib. D. C. eſt multiplex. Primùm ex l. 1. C. de legib. ubi noſter hic idem Imp. Conſtantinus ſcribit, ſolis Imperatorib. licere inter æquitatem & ius interpretationem interponere. Secundò, ubi de iuris ſcripti ſentẽtia cõſtat, quãuis dura & acerba ſit, tamẽ retinenda eſſe dicitur, etiamſi libertati aduerſetur. l. proſpexit, 11. D. qui & à quib. man. Tertiò, regula eſt, ut quæ extra teſtamentum incurrunt, ex bono & æquo interpretantur: quę uerò ex ipſo teſtamẽto naſcuntur, ex iuris ſcripti ratione. d. l. in ijs, 16. D. de cond. & dem. Quartò, ſententia cõtra iuris rigorẽ lata nullius momenti eſt. l. ſi expreſſum, 19. D. de appell. C. T. Imp. h. l. precipere iudicib. uidetur. Quare intelligendum eſt, regulam hanc non omnibus iudicib. ſed ſolis magiſtratib. qui cum imperio ſunt, præſcribi. Nam ſi delegati & pedanei iudices ſunt, uetus diſtinctio & regula obſeruabitur, ut in actionib. ſtricti iuris præſcriptæ formulæ aſtringantur. l. 2. §. nunc de officio. D. quod cert. loc. Sin autem bonæfidei, uel arbitrariæ, tum liberam ex bono & æquo diſce-

disceptandi potestatẽ habeant. §. actionum, 24. Inst, de. act. l. 7. D. de neg. gest. l. Lucius, 24. & l. bona fides, 31. D. depos. Atque hoc nimirum illud est, quod traditur in l. in omnib. 90. De reg. iur. in omnib. quidem, maximè tamen in iure, æquitas spectãda est. Ius. n. ꝓpriè ad magistratus pertinet. l. ult. §. ult. De iust. & iur. l. 4. §. 1. De interrog. act. Eius rei exempla ex infinitis hęc pauca & singularia notabim9, quę ad solos magistratus & ius dicẽtes pertinent. Primũ in exceptionib. prętorijs, quas sola æquitate cõtra iuris ciulis rationẽ institutas esse, Iustin. tradit, in §. 1. & seq. De excep. Secũdũ in l. diuus 7. D. de in integ. rest. Tertiũ in l. quãuis, 11. D. de in ius uoc. Quartum in l. licet, 15. D. de recept. Quintum in l. sunt personæ, 43. D. de relig. Sextum in l. 3. §. 3. D. de carb. ed. Præter magistratum duo sunt hominum genera, quibus eadem potestas permittitur, Princpes & Iurisconsulti. De Principib. text. est in l. 1. C. de legib. Exempla autẽ exstant pręclara in l. postumi, 12. D. de iniust. test. l. leges, 11. C. de legib. l. pen. D. de in int. rest. l. diuus, 33. D. de re iud. & apud Suet. in Claud. Nec semper pręscripta legũ secutus duritiẽ lenitatẽq; multarũ ex bono & æquo moderatus est. De Iurisc. uerò exẽpla exstãt in d. l. pẽ. D. ad exhib. in l. si seruũ, 91. §. 3. de uerb. obl. l. 2. §. quanq;. & §. seq. D. de aq. pl. l. 1. §. q operas. D. ad Tertull. & l. Scæuola. D. ad Treb. Omniũ aũt optimũ, in l. 6.

in l.6.D.de coll. bon.& l.cum auus, 79. D. de iur. dot. ubi Celf. ob æquitatis rationem à Ser. Sulpitio & Labeone diſſentit. Neq; dub. eſt,quin propter hanc iuris æquitatiſq; contentionẽ duę illæ leges apertiſsimè inter ſepugnẽt.Ex hac autẽ diſtinctiõe ſolutio ad ſupẽriores omnes obiectiones facilè intelligitur.

Ad l.9.

Imp.CONSTANTIN.A.Maximum.

Iudices oportet inprimis rei qualitatẽ plena inquiſitione diſcutere, & tunc vtramque partem ſæpius interrogare, nunquid noui addere deſideret: cùm hoc ipſum ad alterutrã partẽ proficiat, ſiue definiẽda cauſa per iudicẽ, ſiue ad maiorem poteſtatẽ referẽda ſit. Datũ II. Idus Ianuarij Sirmij, Licinio V. & Criſpo Cõſ.

Vtrum iudicis officio magis conueniat, tãtum quæ ſua ſponte litigatores afferunt, cognoſcere, an uerò ab illis, ecquid'nam pro ſe afferre uelint, exquirere. D.C.E. quia iudicib⁹ ſolùm audiendi & cognoſcendi munus impoſitum uidetur, ut inter utrunque litigatorem medij ſint, ut ait text. in l. ubi falſi, 22. C. ad leg. Corn. de falſ. & l. iudex, 5. C. comminat. epiſt. unde tritũ apud noſtros prouerbium, Negotiorum merita partium aſſertione pandunt. l. 2. C. ſi per uim uel al. mod. Litigatores autem ſui iuris admonere, idẽ uidetur eſſe, quod ijs conſilium dare; quæ pars gratię

&

& ambitionis esse uidetur, quàm à iudicib. alienã esse oportet, ne litẽ suã faciant.l. filiusfa.15.& l.eũ quem,79,in fi.D.de iudic. qua de caussa Phauorinus philosophus apud Gell. lib.14. cap. 2. Ambigebatur (inquit) deberetur'ne iudex inter cognoscendũ,ea quę dicto quæsitoq; opus est, dicere,& quærere,etiãsi cuius ea dici quęriq; interest,neq; dicat neq; postulet:patrocinari tamẽ prorsus hoc esse aiũt, non iudicare.C.T.R.in l.1. C.Th. de iudic. unde hæc descripta est,quã Cãonistæ falsò Syluestro Papæ attribuerunt in c. iudicantem, 3.q. ult. Mendosè autẽ h. l.descripta est:cũ illo loco Imp. statuat,ut lites nõ occursu iudicis finem urgẽtis, sed satietate altercantiũ, post crebras iudicis interrogationes, & monitiones de allegationibus prębẽdis,terminẽtur.Itaq; Nou.115.§.2. Iustin.statuit, ut cum alter è litigatoribus suis allegationib. renũtiarit, alteri qui renunciare nolit, tres menses ad reliquas offerendas dentur. Huius rescripti æquitas hæc est: quoniã huiusmodi interrogationes pariter utrique litigatori prosunt. Nam ALTERVTRVM noua latinitate Imp. dixit, ꝓ VTRVMQVE.ubi aũt par utriusq; partis ratio ducitur, neuter lædi uidetur. l. si pater, 12. D.de inoff.test. l.de fideicõmisso, 11.C. de trãs. Quare ubicunq; iudicem Aequitas mouet,interrogationes adhibere potest.l.pen.D.de interrog. act. In criminalib.aũt caussis,ꝓbationes lu-

nes lu-

nes luce clariores esse oportet. l. ult. C. de probat.

Ad l. 10.

Idem A. ad Seuerum praefectum urbi.

Nulli prorsus audiētia praebeatur, qui caussae continentiam diuidet, & ex beneficij praerogatiua, id quod in vno eodemq; iudicio poterat terminari, apud diuersos iudices voluerit uētilare: poena ex officio iudicis imminente ei, qui cōtra hanc supplicauerit sanctionē, atq; alium super possessione, alium super principali quaestione iudicem postulauerit. Dat. III. Kal. Aug. Paulino & Iuliano Coss.

An caussa proprietatis ab eodem iudice, qui de momenti beneficio cognouit, disceptari possit. Nā in h. l. Beneficij nomine, quod fuit doctoribus nostris aenigma, intelligendum est id, quod in libris nostris Momenti beneficium appellatur: ut Anianus uetus interpres subobscurè significat. ad l. 2. C. Th. de iudic. unde h. l. descripta est. Momenti autem beneficium dicitur, restitutio possessionis per uim, aut alia iniqua ratione ereptae, quoniam confestim & sine ulla mora facienda est. l. un. C. si de moment. poss.

poſſ. fuer. app. l. 1. C. ſi per uim uel al. mod. & l. momentan. 8. C. und. ui. Itaque celerem reformationem appellat Imp. in l. ſi coloni, 14. C. de agric. & cenſ. adeo, ut ne appellatione quidem retardari poſsit. d. l. 1. C. ſi de moment. poſſ. Quæſtio igitur h. l. proponitur, An qui de erepta poſſeſsione cognouit, idem proprietatis cauſſam diſceptare poſsit. nam de poſſeſsione reſtituenda, prius, quàm de proprietatis iure, ſtatuendum eſt. l. 3. C. de interd. l. ſi de ui, 37. D. de iudic. D. C. E. quoniam nihil commune habet proprietas cum poſſeſsione. l. naturaliter, 12. §. 1. D. de acq. poſſ. Itaque permiſceri eas non oportet. l. 1. §. huius. D. uti poſſ. l. penult. D. de acq. poſſ. C. T. R. Itemque in l. 3. C. fin. regund. Et Symmachus lib. 1. epiſt. 27. teſtatur, ſuo tempore conſtitutum fuiſſe, ut iudici, qui de momenti beneficio cognoſcit, liceret, ubi caſus ferret, etiam de proprietatis iure diſceptare. Legis æquitas hæc eſt, ut celeritati dirimendarum litium conſulatur. Obiectionis ergo ſolutio ſummè notanda eſt: Nouum hoc ius à Conſtantino contra ueteris iuris rationem introductum fuiſſe: quo certiſsimè affirmare audeo, non licuiſſe pedaneo iudici, de poſſeſsione ereptą reſtituenda dato, de proprietatis iure cognoſcere: cum neque eadem res, neq; ex eadem cauſſa peteretur. arg. l. ut fundus, 18.
D.com-

D.comm.diuid.l. proinde, 25. §.1. D. ad leg. Aquil. l. factum, 17. De reg. iur. l. ædiles. §. 4. C.de ædi.ed. ubi autē una uel res, uel causa subest, etiā si plures & uariæ personæ sint, lites omnes apud eundem iudicem disceptantur, ueluti in duplicib. siue mixtis actionibus: l.1.D. de quib. reb. ad eund. iud. Item si plures sint qui tutelæ teneantur: l. 5. C. arb. tut. l. 2. D. de quib. reb. Item si plures eiusdem serui dominium uindicēt, uel unus proprietatem, alter usumf. l. cognitio, 8. & l. seq. D. de lib. caus. Item si mutuæ sint petitiones, & sit reconuentio, l. qui non cogitur, 22. D. de iud. l. pen. C. de sent. & interloc. Item si plures sint debendi correi, à quib. certum petetur. Nouell. 99. Neque huc pertinet, l. ordinarij, 13. C. de rei uind. sed ad regulam. l. is qui destinat, 24. D. eod.

Ad l. 11.

Imp. IVSTIN. A. Iuliano. P. P.

Properandum nobis visum est, ne lites fiant penè immortales, & vitæ hominum modum excedant: (cum criminales quidem causas iā nostra lex biennio cōclusit: & pecuniariæ causæ frequentiores sint, & sæpe ipsæ materiam criminibus creare noscūtur) præsentem legem super his per orbem terrarum, nullis locorum vel temporum angustijs coartandam, ponere.

Nouum

Nouum ius inducitur: ut iudices, siue maiores, siue minores, litibus omnibus, præterquã quæ ad fiscum, aut publicas functiones pertinent, finem intra triennij spacium imponant. In quo primùm illud notandum est, Iudicis nomen esse generale: ut non modò ad pedaneos & delegatos, uerumetiam ad summos quosq; magistratus, qui cum imperio & potestate sunt, pertineat: qua de re diximus ad l.5. s.h.t. Secundò notandũ est, dirimendis litib. & controuersijs ciuilib. trienniũ constitui, cũ antea criminalib. biennium pręfinitum esset. l. ult. C. ut intr. cert. temp. Falsum autem est, quòd Doctores tradunt, etiam Digestorum iure certũ fuisse tempus disceptandis litibus præfinitum. arg. l. arbitrio, 18. §. dolo. De dol. mal. quanquam prętor plerunq; pro suo arbitrio iudicibus tempus definiebat. l. 2. §. 2. D. de iud. nam ibi lis pro actione usurpatur, nimirum redhibitoria, uel quanto minoris, quæ ad summum sex mensibus circumscribitur. l. si uenditor, 28. D. de ædil. edict. Ac memorabile est, quod Speculator sub tit. de Ferijs de h.l. mentionem faciens, & Parlamentum Franciæ, h. e. publicum gentis concilium nimiæ in iudicando celeritatis obscurè accusatus, tamen alibi fatetur in Rotę suo iudicio caussam Anglicanę appellationis annos amplius 34. durasse: quod tamen excusat propter usitatũ prouer

bium, Vt ueritas exagitata dilucescat. 35. q. 9. c. graue: quod est usitatum in ore causidicorum & rabularum, qui uerissime concinnatores litium appellantur in l. nec quidquam. 9. §. circa. D. de off. procons. Praeclarum est etiam, quod singulari iure Iustin. statuit, No. 83. ut lites clericorum apud episcopum celeriter sine ullis scripturis & sine sumptibus diiudicentur. Quod autem quaeritur, An iudicis & litigatorum consensu tempus triennij prorogari possit. arg. d. l. 2. §. 2. D. de iud. ubi tempus iudicij praescriptum partium tamen & ipsius consensu prorogatur: respondendum est, h. l. publicum ius prohibitiuis uerbis induci: ac proinde priuatorum pactionibns laedi non posse: quia non pro commodo priuatorum, sed communi utilitate iuductum est, arg. l. 2. §. sed quia ueremur. C. de iureiur. propter cal. ex quo cōsentaneum est, sententiam à iudice post trienniū à lite contestata pronūtiatā ipso iure nullā esse. l. ἐιδένάι χρή, 13. §. ἀπολλυθὸν. D. de excus. tut.

Ad §. 1.

Censemus itaq; omnes lites super pecunijs quantaecunque quātitatis, siue super conditionibus, siue super iure ciuitatum, siue priuatorum fuerint illatae, siue super possessione, vel dominio, vel hypotheca, seu super seruitutib. vel pro alijs quibusdam causis, pro quibus homini-

minibus inter se litigandum est (exceptis tãtummodo causis quæ ad ius fiscale pertinent, vel quæ ad publicas respiciũnt functiones) nõ vltra trienniĳ metas post litem contestatam esse protrahẽdas: sed omnes iudices, siue in hac alma vrbe, siue in prouinciĳs maiorẽ seu minorem peragant admĩnistrationẽ, siue in magistratibus positi, vel ex aula nostra dati, vel à nostris proceribus delegati: non esse eis concedendum vlterius lites quàm trienniĳ spacio extendere. Hoc etenim iudicialis magis esse potestatis, nemo est qui ignoret: nam si ipsi noluerint: nullus tam audax inuenitur qui possit inuito iudice litem protelare.

Quoniam de absentia & contumacia reorum in h. §. constituitur, commodissimum uidetur etiam ius antiquum exponere, ac simul inueteratum Pragmaticorum errorem, qui uulgò tria edicta cum tribus decretis cõfundunt, repellere Ergo antiquo iure, qui in ius uocabatur, nisi uocantem continuò sequeretur, rapi obtorto collo poterat, atq; ad prætorem duci: quod ius lege XII. tab. institutum fuit. Si tamen uocatus Vadem, siue Defensorem locupletem daret, qui actori stipulanti promitteret, iudicio sisti, hoc est, in ius uocatum ad tribunal stiturum, litis contestandæ caussa & iudicij accipiendi: di-

mittendus erat. l.1. & paſſ. D. in ius uoc. ut eant. l.5. D. qui ſat. cog. nam Stipulationi iudicio ſiſti ſatisfaciebat, qui litem cōteſtabatur. l. amplius, 15. D. rem rat. hab. Quod ſi poſt illam cautionem ſe non ſiſteret, uadimoniū deſeruiſſe dicebatur. l.4. §. quæſitum. D. qui ſat. cog. ubi deſerta promiſsio dicitur. Pœna autem deſerti uadimonij fuit bonorum poſſeſsio. Nam Prætoris edictum erat, ut eius bona poſsideretur, atq; ad extremum uenderetur. l.2. l. Fulcinius, 7. D. quibus ex cauſſ. in poſſ. l. ſatisq;, 19. D. de in ius uoc. Vnde illud in Quintiana: Teſtificatur iſte P. Quintiū non ſtitiſſe ſe ſtitiſſe, tabulæ maxima ſignis hominum nobilium conſignantur: diſceditur. poſtulat, à Burriena prætore, Næuius ut ex edicto bona poſsidere liceat. Iuſsit bona proſcribi eius, &c. Item Verr. 4. de Epicrate, qui ante ullā denuntiationē diſceſſerat. Inſimulant hominem fraudandi cauſſa diſceſſiſſe. poſtulant, ut bona poſsidere liceat. Prius tamen ad domum denuntiabatur, aut per libellum ædib. affixum: l.4. §.3. & §.4. D. de dam. inf. l.3. §.1. D. quòd ui aut cl. l. illud tenendum, 13. §. nulla. D. de excuſ. l.3. C. de annal. excep. & inde dictum eſt, Ad ianuam tabulas figere. l. ult. §.2. D. quod ui aut cl. Creditores igitur omnes conuenire unum in locum oportebat, atque à Prætore bonorum latitantis poſſeſsionem petere. l. ſatisq;, 19. D.
de

de in ius uocat. l. 7. §. 1. D. quibus ex causs. in poss. l. penul. C. de bon. auct. iud. posses. l. pen. C. de dignitat. l. is cuius, 18. D. si seru. uind. d. l. 2, &c. l. 7. D. quibus ex caus. in bon. poss. l. item ait, 21. §. pen. D. ex quibus caus. maior. Hoc primum Decretum dicebatur, quo creditores dies xxx. bona possidebant, ut Cic. in Quinctiana demonstrat. eiusque rei argumentum est in l. pen. C. de bon. auct. iud. idque Prætorium pignus appellabatur. l. 2. C. qui pot. in pignor. l. 3. D. ut in possess. legat. cuius alia uis nulla est, nisi ut eas res custodire liceat. l. si quis, 10. D. de acq. possess. Post diem trigesimum creditores iterum à prætore postulabant, ut ex suo numero unum constituere liceret, qui seruandis, administrādis, & si opus esset uendendis bonis præesset: qui modò Magister, modò Curator bonorum dicebatur; in eadem Orat. pro Quinct. & l. ult. D. de cur. bon. dand. & l. in uenditione, 8. D. de bon. auct. iud. poss. ac tum fixis publicè libellis auctionis proscriptio fiebat, quod cùm Prętor permittebat, Secundum decretum dicębatur. Aliquanto pòst transacto tēpore, quod Prætor caussa cognita præstituerat (ut patet in l. penul. & ult. C. de bon. auct. iud.) Tertium decretum interponebątur, cùm creditorum postulatu Prætor auctionem fieri permittebat. d. l. pen. in fin. ac tum LEX BONIS uen

dundis, promulgabatur (sic enim apud Theoph. legendum est, ubi uitiosè & ridiculè scriptum est πωνήσασθαι legem Bonorū uenditorē) & sic in Verr. V. LEX DECVMIS VENDVNDIS. Est autem lex bonis uendendis edictum quibus cōditionibus bona illa prętoris decreto uenderentur. in ijs autem prima hæc erat, quota parte creditores cum eo qui bona empturus esset, deciderent, uel potius iam antè cum bonorū curatore deciderant: tertia, uidelicet aut dimidia, ut in l. 8. D. de pact. auctione constituta, tum quiuis de populo uniuersa debitoris bona uno pretio coemebat, qui Sector uel Bonorum emptor dicebatur, cui & cōtra quē actiones omnes debitori uel contra debitorem competētes concedebantur. l. cum postea, 9. §. sed & si quis. D. de iureiur. Atq; hæc quidē hactenus de latitantibus. Quod si abesset quis sine latitatione, neque defenderetur, tum eius quidem bona posſideri iubebantur, at non etiā uendi, nisi post reditum uel pubertatem. l. 21. §. 1. D. ex quib. cauſſ. mai. l. in posſesſionem, 6. D. quib. ex cauſſ. in poſſ. l. si pupillus, 23. l. ult. D. de reb. auct. iud. Deinceps de trib. Edictis uideamus, quibus tum demum locus est, cùm eremodicium cōmiſſum est: hoc est, ut Hesychius interpretatur, μονομερὸς ἀγωγὴ. siue iudicium ex uno tantum litigatore constans, siue litis contestatæ desertio, quod

non

non tantùm in actore, uerùm etiam in reo absente & litis desertore usurpatur: ut patet ex §. sin autem reus, & ex §. cum autem, §. hoc tit. l. itéq; ex l. ait prætor, 7. D. de minorib. l. cum quærebatur, 13. D. iudic. sol. l. ult. D. ad Trebell. Ergo iure antiquo, moris fuit, ut si alter è litigatorib. litem contestatam desereret, tum præsens aduersus absentem edictum à prætore postularet, quo ei denunciaretur, ut ad idem decimum adesset: si ea die non adesset, tum iterum edictum alterum postularet, & simul condemnationem in expensas: postremò tertium adderet, aut unum pro omnibus proponeret. quod quia litem perimebat, Peremptorium dicebatur. l. 71. & ll. seqq. D. de iudic. l. 2. §. 2. l. senatus, 15. §. senatus. l. Anianus, 42. §. 1. D. de iur. fisc. l. ex consensu, 23. §. ult. D. de appell. Interdum autem ternis litteris domum missis, aut totidem denuntiationibus pro iudicis arbitrio utebantur. l. item ueniunt, 20. §. præter hæc, in fin. D. de her. pet. Nam tres denuntiationes testatò factæ trium edictorum uicem obtinent. l. 2. l. 7. l. 9. C. quomod. & quand. Iud. & apud Paul. sent. lib. 3. & l. 5. D. de pœn. Nisi autem absens pareret, tum frustrator & contumax pronuntiabatur. nam Contumax est qui tribus edictis, aut uno pro omnibus euocatus, præsentiam

ſentiam ſui facere neglexit: l. contumacia, 58. §. 1. D. de re iud. d. l. 8. C. quom. & quand. l. 5. D. de pœn. ſi modò & edictum propoſitum eſt, & ad euocati notitiam peruenit. l. 1. §. item cùm. D. quę ſent. ſin. appell. Tum igitur aduerſus eum ſententia ferebatur. Etſi enim regulariter res iudicata tantùm inter præſentes ualet. l. ea quæ, 7. C. quom. & quand. atque ob eam cauſſam abſentis condemnatio nullius momenti eſt: l. 1. §. item cùm. C. quæ ſent. ſin. app. tamen ſingulari iure propter iſtam contumaciam condemnari abſens poteſt: l. contumacia, 58. D. de re iud. & l. poſt peremptorium, 73. D. de iud. & l. ultim. D. de appell. ac tum Perempta ſiue Mortua lis dicebatur: primùm, quia neque redintegrandæ actionis ſpes ulla erat: l. liberto, 31. §. litem. D. de neg. geſt. deinde, quia ius ab ea ſententia prouocandi nō erat, l. ex conſenſu, 23. §. ult. D. de appell. l. 1. C. quor. appell. non recip. l. & poſt, 73. D. iud. Cicer. in Rabiniana: Cauſſam enim ſuſcepiſti antiquiorem memoria tua: quæ cauſſa antè mortua eſt, quàm tu natus eſſes. Ex ijs autem quæ dicta ſunt, intelligitur, quantum inter tria Decreta, & tria Edicta interſit. nam Decreta pronuntiantur à prætore. Edicta, ſunt libelli ſiue programmata publicè propoſita. illa propter uadimonium, hoc eſt, cautionem iudicio ſiſti deſertam, & ante iudicium

dicium acceptũ interponuntur: hæc poſt litem. conteſtatam, & propter eremodicium. Illa contra reum duntaxat: hæc etiam contra actorem. Hactenus de iure antiquo dictum ſit. Nunc quid Iuſtin.h.§.ſtatuat, uideamus: in quo primùm illud ſcire oportet, totum hunc §.non ad uadimonium deſertum, ſed ad ſolum eremodicium pertinere.

Ad l. Properandum, &c.

Hac lege Iuſtinianus iudicibus dirimendarum priuatarum litium tempus præſcribit: cùm antea biennium criminalibus cauſſis præſtituiſſet: l. ult. C. ut int. cerr. temp. ac de principio ſignificat, eundẽ ætate ſua producẽdarum litium morbum uiguiſſe, quem Romæ Speculator ſuo tempore in Rotæ ſuæ iudicio graſſatum fuiſſe ſcribit: ubi cauſſam appellationis ex Anglia triginta quatuor annos duraſſe teſtatur. Triennium igitur litibus omnibus præſcribit, quod à tempore conteſtatæ litis iniri ſtatuit. cuiuſmodicunque lites illæ ſint, & quantæcunque pecuniæ, ſiue de conditione & ſtatu perſonarum, ſiue de iure ciuitatum aut priuatorum, ſiue de proprietate & dominio, ſiue de poſſeſsione, ſiue de pignoribus aut hypothecis, ſiue de ſeruitutibus, ſiue generaliter de quibuſuis alijs rebus inſtitutæ ſint: exceptis tantùm cauſsis, quæ ad fiſcum pertinent,

nent, id est, ærarium, siue thesauros principis. l. 3. C. de quadr. præsc. Itemq; ad publicas functiones, hoc est, intributiones, collationesque & pensitationes publicas. l. 4. C. de donat. l. 2. C. de iur. emphyt. Hæc autem lex iudicibus imponitur, non tantùm Constantinopolitanis, uerumetiam prouincialibus: non tantùm minoribus, uerumetiam maioribus, ac generaliter omnib. etiam magistratibus, qui cum imperio uel potestate sunt: uerissimeq; Imperator culpá diuturnitatis litiũ, non tam litigatoribus quàm iudicibus attribuit: quibus si aduersus legem hanc commiserint, quam pœnam imponat, posterius (sub §. sin autem utraque) exponemus. Summa igitur hæc esto, ut caussæ ciuiles, præterquàm quæ ad fiscum & tributa pertinent, intra triennium dirimantur.

Ad §. Et siquidem.

Et si quidem pars actoris cessauerit, quatenus multiplici dilatione reus fatigetur, & trienny metæ post litem contestatam iam prope finem veniãt, ut semestre tempus tantùm ei superſit: licéntia erit iudici per ex secutores negotij actorem requirere: parte fugiente ex vna parte actoris absentiam incusante: & iudicib. omnimodo suas aures huiusmodi quæstionibus

nibus referātibus. & si per tres vices hoc fuerit subsecutum, decem dierum spatio per vnūquemque introitum destinato, & nec ita pars actoris fuerit inuenta, & neq; per se, neque per procuratorem instructum peruenerit: tunc iudicem negotij acta apud se confecta cōspicere censemus: & si quidem nihil sufficiēs actitatum est, ex quo possit termino causæ certa fieri coniectura: volumus nō solùm partem fugientē ab obseruatione iudicij relaxare, sed etiam in omnes expensas, quæ consueto modo circa lites expenduntur, eum condemnare: vera quantitate earum sacramento fugientis manifestanda, & omni cautela quam super lite reus exposuit, reddenda: quæ & si remanserit, viribus euacuabitur. Sin autem ex gestis apud se habitis, parte actoris minimè inuenta, possit inuenire viam, qua manifestum ei fiat quid statuendum sit, etiam absente actore, si eum meliorem causam habere perspexerit, pro eo ferre sententiam non moretur, & præsentem reum absenti actori condemnare: expensis tātummodo litis, quas reus legitimè se expendisse iurauerit, condemnatione excipiendis: quia hanc pœnam actori & meliorem causam habenti propter solam absentiæ contumaciam imponimus: nullo penitus

tus

tus ei regressu ad eandem litem conseruando. Sed actor contumax cadat omnino de lite, si reus absoluatur. Sin verò aliqua condemnatio contra reum pro absente actore proferatur, quam forsitan non sufficientem sibi actor putauerit fugitiuus: nullo modo iterum eandem litem resuscitare concedimus. & hæc quidē pœna actori fiat imposita.

Deinceps ea persequitur, quæ iudicijs moram, & huic optimo studio impedimentum afferre possent: ueluti, si post litem contestatam actor neque per se, neque per procuratorem compareret. Tum igitur iudicis officium erit, si reus uarijs dilationibus per biennium, & eo amplius fatigatus, actoris absentiam incuset, sibiq; ius reddi postulet, ut postremo semestri triennij (cuius triennij initium à lite contestata ineundum est) iubeat actorem per exsecutores negotij, hoc est, apparitores domi suæ conquiri: idq; ter decem dierum spatio interposito. Quòd si ne tum quidem actor uel per se, uel per procuratorem idoneo mandato instructū compareat, tum iudex acta negotij, & instrumenta apud se probata inspiciat, & si per ea ęquitas caussæ cognosci penitùs non possit, tum interlocutoriam sententiā summatim pronuntiet, cuius tria hęc erunt capita: primum, ut par-

ut partem fugientem, hoc eſt, reum ab obſeruatione iudicij, hoc eſt, inſtantia & moleſtia litis illius abſoluat. Secundum, ut actorem abſentem reo præſenti in omnes litis illius ſumptus condemnet, quarum ęſtimationem eiuſdem iuriiurando permittet. Poſtremum, ut reum, & eos qui pro eo iudicatum ſolui fideiuſſerunt, ab illis cautionibus liberet: quanquam poſtrema hęc pars omiſſa, pro adiecta cenſebitur. Quòd ſi ex illis actis & prolatis poſsit iudex cauſſæ ueritatē cognoſcere, tum uerò ſiquidem actoris bona cauſſa uidebitur, iudex definitiuam ſecundum eum ſententiam pronuntiet, & reum præſentem actori abſenti condemnet, quod etiam antiquo iure fieri ſolebat. l. & poſt peremptorium, 73. D. de iudic. Nam etſi regula iuris eſt, ut nō niſi parte utraq; præſente res iudicetur, l. 7. C. quom. & quand. tamen pœna hæc actoris abſentiæ imponitur, ut cùm regulariter uictus uictori in expenſas litis condemnetur: l. eum quem, 79. D. de iudic. tamen hoc ſingulari caſu uictor actor uicto reo in ſumptus litis condemnetur, eorumq́; ſumptuum taxatio rei iurijurando permittatur. Sin autem bona rei præſentis cauſſa uidebitur, tum ſimiliter iudex actorem abſentem condemnet, in eumq́; definitam ſententiam pronunciet. Et hoc utroq; caſu, ſiue reus, ſiue actor condemnetur, lis utrinque

mortua sit. neque uel actori, uel reo ad litem iusiurandum,& aliquid amplius eo nomine postulandum facultas detur.

Ad §. Sin autem reus.

Sin autem reus absuerit, & similis eius processerit requisitio, quemadmodum pro persona actoris diximus: etiam absente eo eremodicium contrahatur: & iudex (secundũ quod veteribus legibus cautum est) ex vna parte cum omni subtilitate caussam requirat: & si obnoxius fuerit inuentus, etiam contra absentem promere condemnationem non cesset, quæ ad effectum perducatur: & per res & facultates fugientis victori satisfiat: siue ipse iudex ex sua iurisdictione hoc facere potest, siue per relationem ad maiorem iudicem hoc referatur, & ex eo legitima via contra res contumacis aperiatur: nulla licentia ei, vel alij personam eius solam prætendenti concedenda contradicendi, cùm in possessionem ex huiusmodi caussa actor mittitur. nec si reuersus ipse fuerit, & uoluerit fideiussores dare, & possessionem recuperare, audiatur. in huiusmodi enim casibus omnem ei contradictionem excludimus.

Hactenus

Hactenus de actore post litem contestatam absente & contumace dictum est: deinceps de reo uideamus. Ergo si reus post litem contestatam neque per se, neque per defensorem compareat, sexq; menses tantùm ex triennio post litem contestatam ineundo supersint: actor autem sibi ius reddi postulet, iudex similiter reum domi suæ ter decem dierum spatio interposito per apparitores euocari iubeat: &, si contumax sit, eùm caussa cognita condemnet, sententiamque, si maior sit iudex, & iurisdictionem habeat, ipse captis pignoribus exsequatur: sin pedaneus, ad maiorem referat, eamque illi exsecutionem permittat. quandoquidem hoc pignus iudiciale est, quod non nisi magistratus iussu capi potest. l. debitoribus, 31. D. de re iudic. l. 1. & l. 2. C. si in causs. iudic. l. penult. C. exsecut. rei iud. eoque casu mori quoque lis dicitur, quoniam si reuersus actor fideiussores dare, & possessionem recuperare uoluerit, non auditur.

Ad §. Cùm autem eremodicium.

Cùm autem eremodicium uentilatur, siue pro actore, siue pro reo: examinatio causæ sine ullo

vllo obstaculo celebretur. Cùm enim terribiles in medio proponuntur scripturæ, litigatoris absentia, dei præsentia repleatur: nec pertimescat iudex appellationis obstaculum, cùm ei qui contumaciter abesse noscitur, nulla sit prouocationis licentia: quod & in veteribus legibus esse statutum, manifestißimi iuris est. Huiusmodi autem sententia prope finem triennij proferatur, pro quo & præsentem legem induximus. Si enim in anteriore tempore, in quo larga temporis superest dilatio, & spes absenti relicta fuerit reuertendi, alterutra pars cessauerit: in sola expensarum datione & absolutione forsitan præstetur pœnalis sententia, non autem tunc mors litis & condemnatio in absentem introducatur, quæ in his tantummodo casibus accidunt, in quib. triennij effluentis imminet formido.

Etsi ergo regulariter non nisi utraque parte præsente, & caussa utrinque cognita res iudicetur: l. de unoquoque, 47. D. de re iud. tamẽ ubi eremodicium contractũ est (quod tam ex rei, quàm ex actoris absentia contrahi sup. demonstrauimus) iudici permittitur sententiam etiam definitiuam pronũtiare: qũan-

re:quandoquidem litigatoris absentiam Dei præsentia supplet, cuius sacræ Scripturæ (quas hoc loco Terribiles appellat) corā iudice proponendæ sunt, ut metu Dei (qui periurij uindex esse solet) in officio contineatur, & absentis caussam non minus diligenter ac si præsens adesset, cognoscat. Quin illud quoque summè notandum est, per illam sententiam adeò rem definiri, litemque perimi, ut ne ab ea quidem appellare liceat. nam etiam antiquo iure comparatum fuit, ut ab sententia contra contumacem lata prouocandi ius non esset. l. & post, 73. D. de iud. l. ex consensu, 23. §. ult. D. de appell. Animaduertendum est præterea, sententiam illam non sub exitum triennij pronuntiandam esse: quandoquidem Imp. h. l. triennium diiudicandis litibus ita præstituit, ut neque illud inter præsentes excedere, neque inter absentes coarctare permittat. At ante instantem illum triennij exitum, cum & dilationes dare iudex potest, neque absentis reditus desperatus est, si alteruter litigator cessauerit, hoc est, non cōpareat, sentētia nō potest definitiua ferri, sed tantùm interlocutoria de sumptibus litis & ab solutione ab instantia, ut sup. dictū est, eaque sententia, quia in contumaciæ pœnam fertur, Pœnalis dici potest. sed litigatori ex absentia reuertenti regressus ad iudicium conceditur, saluaque lis manet, ut in l. 2. C. ubi

d in

in rem act. neque MORS LITI infertur, & definitiua sententia pronuntiatur: illam enim ante imminentem triennij exitum Imperator pronuntiari uetat. Ad extremum, illud scire oportet, quod totius huius legis caput est, de triennij spatio abrogatū ab hoc eodem fuisse in Nou. 112. §. 3. ubi statuit ut actor tribus edictis euocatus, unius tantum anni inducias habeat: &, si non uenerit, lite cognita, res iudicetur, quod si intra annum uenerit, tamen non prius à iudice admittitur, quàm reo litis sumptus restituerit.

§ siue autem alterutra.

Siue autem alterutra parte absente, siue utraq; præsente lis fuerit decisa, omnes iudices qui sub imperio nostro constituti sunt, sciãt uictum in expensarū causa uictori esse cõdemnãdum, quãtum pro solitis expensis litium iurauerit: non ignorantes, quòd si hoc prætermiserint, ipsi de proprio huiusmodi pœnæ subiacebunt, & reddere eam parti læsæ coarctabũtur. Et hæc de alterutra parte litigantium contumaciter absente nobis statuere uisum est, ad æquitatis rationem omnia corrigentibus.

Hoc cap. de sumptib. litis Imp. statuit, ac primum ius uetus confirmat, ut siue utróque litigatore præsente, siue alterutro absente sententia pronuntietur, uictus uictori in expensas litis condemnetur, quorum æstimatio

matio uictoris iurijurando committatur: l. eum qui temerè, 79. D. de iud. alioqui ut iudex ipse de suo illos uictori dependat. Ius autem de litium expensis sæpe uariatum est. nã primum omnium antiquißimo iure cõstitutum fuit, ut actor improbus nomine calumniæ in decimam litis partem propria actione teneretur. §. 2. De pœn. tem. lit. nam initio litis, reus stipulabatur illam decimam, si actor damnaretur. l. 3. C. Herm. de calumn. id quod lege aliqua institutum fuisse argumento est l. 4. C. de fruct. & lit. exp. in qua diligenter notandum est, nihil de reis, sed tantum de actorib. cautum ea lege fuisse. Secundò, cum illa actio calumniç obsoleta esset, institutum fuit, ut actor improbus & damnum & impensas litis inferre suo aduersario cogeretur. d. §. 3. & l. eum qui temere, 79. D. de iud. Et si autem textus illi nominatim de actore loquantur, tamen de reo idem iuris fuisse argumento est l. qui solidum, 78. §. etiam. D. de legato. 2. quo loco animaduertendum est, interdum Prætorem ipsum in iure de calumnia cognoscere solitum. l. postquam, 43. in fin. D. de her. pet. nam calumnia est actionem non competentem postulare. summatim autem ea cognitio expediebatur. l. 3. §. 1. D ut in poss. leg. Tertium ius Honorij lege inductum est, ut tum demum utri'uis litigatori de sumptibus agere liceret, cum iudex

id in definitiua sententia nominatim pronunciasset, ne lis litem sereret. l 3. C. de fruct. Quartũ Valentinianus induxit, ut actor uictus pro calumnia pœnam legitimam solueret, & præterea damnũ sumptusq; iudicis arbitrio & æstimatione præstaret. l. 4. C. eod. Quintum Iustin. h. §. instituit, de quo sup. dictum est. Sextum idem inuexit, ne iudex uel actori uel reo contumaci, reditum ad iudicium permitteret: nisi prius damnum & expensas prius quidem à uictore iuratas, post autem iudicis arbitratu æstimatas præstitisset. l. sancimus, 13. C. h. t. Septimum idem Imp. statuit, in Nou. 82. ut in definitiua iudex statuat, quid fieri oporteat de expensis, quas altera pars ab aduersario suo passa est, & siquidẽ iudex uelit sumptuum quantitatem æstimare, faciat taxationem, & secundum eius qui uicit iusiurandum, non ultra taxationem aduersarium condemnet. Sin autem propter uarietatem litis in nullos sumptus condemnare alterutrum eorum uoluerit, etiam hoc in arbitrio eius sit. Ergo si iudex quantitatẽ præscribat, intra quã iuretur, standum est iuriiurando, ut in l. signando, 9. C. und. uj. Ac si sine iudicis taxatione litigator iurauerit, moderari postea iudex poterit. Octauum idem Imp. nullis commutatis statuit, ut uetus illa Decimaria calumniæ actio desuetudine obsoleta in usum reuocare-

caretur, & cogeretur actor initio litis satisdare, uel iurare se in iudicio usque ad exitum permansurum. Et si caussa ipsius damnaretur, litis expēsas soluturum. Nou. 112. §. 2.

Ad §. Sin autem utraq;.

Sin autem vtraque parte imminente, & litem peragere cupiente, iudex eam accipere noluerit, vel ꝑpter amicitias vel inimicitias, vel turpißimi lucri gratia, uel propter aliud quodpiā vitium, quod miserrimis animis huiusmodi iudicum innasci potest, litem ipse ausus fuerit protelare, & propter hoc triennium fuerit transactum: iudex, si quidem in magistratu positus est, vel in maiori dignitate vsq; ad illustratus gradum, decem libras auri, priuatis nostris largitionibus inferre per scholam Palatinam compelletur. Si autem iudex minor fuerit, trium librarum auri multa plectetur per eandem scholam exigenda, & nostro ærario applicanda: & eo remouendo, alter iudex in locum eius subrogabitur sub similis pœnæ formidine. his omnibus locum habentibus cùm vnus iudex vnam causam ab initio peragit. Sin autem in medio triennij, vel morte iudicis, vel alia irrecusabili occasione iudiciū fuerit mutatum, tunc si quidem ex triennio annale tēpus, vel amplius residet, in quo alius

iudex ei causæ imponitur, intra reliquum tempus causa finiatur. Sin autē minus quàm annale sit: tūc omne quod deest repleatur, ut non in minore quàm perfecti anni tempore, litem possit subrogatus iudex tam discutere, quàm terminare.

Deinceps legis sanctio sequitur: ut si utraque parte præsente, atque instante, ut controuersia diiudicetur, iudex nihilominus ultra triennium eam producat, tum si uel in magistratu est, uel in maiore dignitate, usque ad illustratus gradum (quo in gradu sunt Præfecti prætorio, præfecti urbi & Quæstores. l. 1. C. ubi Senat. l. un. C. de ratiocin. op. pub.) decem auri libris multetur: sin minor (quales sunt pedanei qui & delegati dicuntur) tribus auri libris multetur, quas multas Schola Palatinorum exiget, atque in ærarium Principis inferet: hoc est præfecti thesauris principis. l. 1, & pass. C. de palat. sacr. largit. Præterea eo iudice remoto, alter eadem conditione sufficietur. Suffectus autem siue ob illam, siue ob aliam legitimam caussam, siue ob prioris mortem sit substitutus, siquidem minus anno ad trienniȷ exitum supersit, integer ei annus ad iudicandum dabitur: sin autem amplius supersit, totum ei relinquetur. In quo iuris nouitas notanda est, cum olim dies intra quam prior iudex iudicare iussus erat, substituto altero repetita & ab integro restituta

tuta intelligeretur. l. si iudex, 32. D. de iud. cuius in extremo uerba illa, Ita tamen ut legitimum tempus non excedat, perspicuè à Trib. addita sunt, quod etiã Accurs. animaduertit.

§. illo proculdubio.

Illo proculdubio obseruando, vt si neq; per alterutram litigãtium partẽ, nec per iudicẽ steterit quo minus lis suo marte decurrat, sed per patronos causarũ: licentia detur iudici, & eos duarum librarũ auri pœna afficere per scholã Palatinam exigenda, & similiter publicis rationib. aggregãda: ipso uidelicet iudice in sua sentẽtia hoc ipsum manifestãte, quòd per patronos causarũ, vel fugientis, vel agentis, dilatio facta est, per omnes, vel per quosdã ex his: necessitate aduocatis imponẽda, ex quo litẽ peragendã susceperint, eã vsque ad terminũ (nisi lex vel iusta causa impediat) implere, ne ex eorum recusatione fiat causæ dilatio: honorarijs scilicet à clientibus qui dare possunt disertissimis togatis omnimodo præstãdis: & si cessauerint, per executores negociorũ exigẽdis, ne per huiusmodi machinationẽ causæ merita protrahãtur, nisi ipse litigator aliũ ꝑ alio patronũ eligere maluerit. Hæc autẽ omnia in his omnibus à nobis cauta sunt, quibus perfectæ ætatũ constitutis arbitriũ suũ ꝑ omnibus causis sufficit.

Dictum est de pœna litigatorum, qui litem deserunt, & de pœna iudicum, qui eam ultra triennium producunt: sequitur ut de causidicorũ pœna uideamus, si fortè ipsorũ culpa lis ultra triennium producatur. Iubetur ergo iudex in sua sentẽtia definitiua id nominatim pronũtiare, simulq; pœnã illis duarũ auri librarũ imponere, quæ Palatinorũ scholæ in Principis ærariũ redigẽda cõmittitur. Quãtum aũt ad illorum Causidicorũ honorariũ attinet, Imp. statuit, ut illud iudicis arbitratu definiatur: qua de re paulò copiosius diserendũ uidetur. Nã antiquissimo tẽpore fuit lex Titia, qua cauebatur, ne quis ob caussam orãdã, donũ pecuniamúe acciperet. Post Claudij Cæs. edicto sancitũ est, ne aduocati plus quàm dena sestertium millia caperent. auct. Corn. Tacito lib. 2. quòd cõgruit cũ l. 1. §. si cui. D. de ext. cogn. ubi licitũ aduocati honorariũ pro singulis causis definiuit usq; ad cẽtum aureos, hoc est, nostratis pecuniæ scutatos ducentos quinquaginta. Cęterùm, VSQVE uox prohibitiuè accipienda est, ne plus quã centũ, sed nõ pro causis omnibus cẽtenos. Nam modus honorarij & eius æstimatio iudicis prudẽtiæ & arbitrio cõmittitur, nõ modò in hoc §. uerũ apertissimè in d. l. 1. §. 2. De ext. cog. Pactiones aũt de lite (quas Fabius piraticas appellat lib. 12. cap. 7.) toto iure ciuili improbãtur, l. 5. C. de postul. l. sumptus, 53. D. de pact.

de pact.l.si cōtra,20. C.mand.d.l. 1. §. si cui. D. de ext.cog.l.quisquis,6.C.de postul. §.ult.

Sin verò causæ vel pupillorum, vel adultorum sint, vel aliorum sub cura agentium, masculorum, vel fœminarum, vt per tutores, vel curatores, uel actores, uel eorum procuratores agātur, & eorum desidia triennium fuerit elapsum, & causæ ceciderint: litem quidem nihilo minus suum habere vigorem: omnem autem iacturam quæ ex hac causa oritur, ad tutores, & curatores, aut eorum fideiussores, heredesq́, & res eorum, & ad omnes quorum in hac causa legitimè interest, redundare. Sin autem non sufficiat pupillis vel minoribus eorum substantia: tunc in id in quo fuerint detrimentum perpessi, placuit in integrum restitutionis auxilium eis superesse. Dat. VI. *Kal. April. Lampadio & Oreste* V.V.CC.*Coss.*

Restat ut de ijs, qui sub tutela uel curatela sunt, uideamus. Ergo si tutorū curatorū aut procuratoū auctorumúe culpa, lis ultra trienniū ꝑducta erit, & caussa ceciderint, lis quidē nihilominus suū habebit uigorē, hoc est, ualebunt quidē omnia, quę in exercēda lite gesta erūt, ac res iudicata firma erit, sed tutores & curatores, fideiussoresúe ipsorū aut heredes, omne pupillorū adolescentiūq; dam-

 num

num de suo resarcient. Sic enim locus interpretãdus est, neq; uerbũ NIHILO MINVS pro Nihilomagis accipiendum, ut uulgò existimatur. Quatenus autem soluendo non erunt, eatenus in integrum restitutio minoribus concedetur, quod consentaneum est cũ l. qui solutum, 78. §. etiam. D. de legat. 2. l. 6. C. de admin. tut.

Ad l. 12.

Idem A. Iuliano P.F.P.

Rem non nouam neque insolitam aggredimur, sed antiquis quidẽ legislatoribus placitam: cum uerò contempta sit, non leue detrimentum causis inferentem. cui enim non est cognitum, antiquos iudices non aliter iudicialem calculum accepisse, nisi prius sacramentum praestitissent, omnimodo sese cum ueritate & legum obseruatione iudicium esse dispositurus? Cum igitur & viam nõ inusitatam inuenimus ambulandam, & anteriores leges nostra quae de iuramentis positae sunt, non minimam suae vtilitatis experientiam litigantibus praebuerunt, et ideo ab omnibus meritò collaudantur: ad hanc in perpetuum valituram legem peruenimus, per quam sancimus, omnes iudices, siue maiores, siue minores, q in administrationibus positi sunt, vel in hac regia ciuitate, uel in orbe terrarum, qui nostris guber

naculis

naculis regitur, siue eos quibus nos audiẽtiam committimus, vel qui à maioribus iudicibus dantur, vel qui ex iurisdictione sua iudicandi habent facultatẽ, uel qui ex recepto, id est, compromisso (quod iudicium imitatur) causas dirimendas suscipiunt, vel qui arbitrium peragunt, vel ex auctoritate sentẽtiarum, & partium consensu electi sunt, & generaliter omnes omnino iudices Romani iuris disceptatores, nõ aliter litium primordium accipere, nisi prius ante sedem iudicialem sacrosanctæ deponantur scripturæ, & hæ permaneant nõ solùm in principio litis, sed etiam in omnibus cognitionibus usque ad ipsum terminum, & definitiuæ sententiæ recitationem. Sic etenim attendentes ad sacrosanctas scripturas, & dei præsentia consecrati, ex maiore præsidio lites diriment, scituri quòd nõ magis alios iudicãt, quàm ipsi iudicantur: cum etiam ipsis magis quàm partibus terribile iudicium est. siquidẽ litigatores sub hominibus; ipsi autẽ deo inspectore adhibito causas proferunt trutinandas. Et hoc quidem iusiurandum iudiciale omnibus notum sit, et Romanis legibus optimum à nobis accedat incrementum, et ab omnibus iudicibus obseruandum: et si prætereatur, contemptoribus periculosum sit.

Vt

Vt oẽs iudices atq; etiã arbitri in litis exordio Codice ſacrarũ literarũ propoſito iurẽt, ſe fide & conſcientia bona iudicaturos, eũq; Codicẽ uſq; ad litis exitũ ante oculos propoſitum habeant. Hanc. n. eſſe Imperatoris ſententiã ex fine capitis intelligitur: tametſi præfationis exordium longè ac tam altè repetat, ut propoſitum ſuum obliuiſcatur, nec ullam legẽ de iuramento ſtatuat. Nihilo cõnſideratior eſt ratiocinatio qua utitur à ſimili, cũ à publicorũ iudiciorũ inſtitutis, ad omnia priuatarum & minutarũ cõtrouerſiarum iudicia atq; adeò arbitria argumentatur. Nã cũ iudicialẽ calculũ nominat, nõ ſentẽtiam, ut doctores Accurſium ſecuti tradiderunt, ſed ceratã tabellã intelligit, quã in publicis cauſſis quæſitor dare iudicibus ſolebat, ut tum ex alijs, tum ex Pædiano in Orat. Verrinas intelligitur. In quo rurſus alterum abſurdum notari poteſt, cum ſatis conſtet, etiam in ijs iudicijs, in quib. non per tabellam ſententiæ ferebantur, ſed uoce dicebantur, iurare iudices ſolitos fuiſſe, antequam cauſſam cognoſcerent. iurabãt autem (ut idem Pæd. ſcribit) in legem, ut obſtricti religione iudicarent, quòd ſic interpretor, ut qui uerbi gratia in maieſtatis iudicio iudex eſſet, iuraret in l. Iuliam maieſtatis. Commodius igitur generaliter ab exemplo iudiciorũ omniũ tã publicorum, quàm priuatorum, argumentati potuiſſet:

 tuiſſet:

tuiſſet: cum ſatis conſtet etiã in minimis iudicijs recuperatores iurare ſolitos, ut ex Quint. orat. intelligitur. Cic. Off. 3. Cum uerò iurato dicenda ſentẽtia ſit, meminerit Deum ſe adhibere teſtem. Alibi autem Iuſtin. ſtatuit, ut magiſtratus omnes iurent, ſe fide bona iudicaturos, horrendo carmine, ut ipſe appellat Nou. 102. & No. 9. ut qui ſecus fàxit, Iudæ exitium, Gieſi lepram, & Caini terrorem participet. Eiusq́; mẽtio fit in Nou. 25. de prætore Lycaon. & Nou. 26. de præt. thrac. & No. 29. de præt. Paphlagon.

§. Patroni.

Patroni aũt cauſarũ, qui vtriq; parti ſuum præſtantes auxiliũ ingrediuntur, cũ lis fuerit conteſtata, poſt narrationem propoſitã, & contradictionẽ obiectã, in qualicunq; iudicio maiore uel minore, vel apud arbitros, ſiue ex compromiſſo, ſiue aliter datos vel electos, ſacroſanctis euangelijs tactis iuramẽtũ præſtent, quòd omni quidẽ uirtute ſua, omniq; ope quod verũ & iuſtũ exiſtimauerint, clientibus ſuis inferre procurabũt, nihil ſtudij relinquẽtes, quod ſibi poßibile eſt: nõ autẽ credita ſibi cauſa cognita, quòd improba ſit, vel penitus deſperata, & ex mẽdacibus allegationibus compoſita, ipſi ſcientes prudentesq; mala conſcientia liti patrocinabuntur: ſed & ſi certamine procedente aliquid

quid tale sibi cognitũ fuerit, à causa recedent, ab huiusmodi cõmunione sese penitus separantes. Hocq́ subsecuto, nulla licentia concedatur spreto litigatori ad alterius aduocati patrocinium conuolare, ne melioribus contemptis, improba aduocatio subrogetur. Sin autem pluribus patronis adhibitis, & iuramento ab omnibus præstito, quidam ex his causa procedente patrocinandum esse crediderint, quidã recusauerint: exeant quidem recusantes, volentes autem remaneant. Causæ etenim terminus manifestare poterit, qui timidius, quiq́ audacius iudicium vel reliquerunt, vel protulerunt: nec in hac parte litigatoribus danda licentia alios pro recusantibus subrogare:

Dat. IIII. *Kalend. April.*
Lampadio & Oreste VV.
CC. *Coss.*

Vt causidici adhibitis Euangelijs iurent, se fide bona clientum suorum caussas acturos, & si quid alienũ ab ea deinceps animaduertaut, destituros. Deinde, ut ijs desistentibus, non liceat litigatoribus alios adsciscere. Quod si è pluribus aduocatis, nonnulli tantum caussam improbent, reliquis tamen in caussa perseuerare liceat. & hãc eandem legis summam cõmemorat in l. 2. §. de

iureiur.

iureiur.propt.cal. Nihil autem in hoc cap.ſingulariter notádum eſt, præterquam in quæſtione, An forma & ſolẽnitas h.l.præſcripta, ſi in iudicio prætermittatur, actum uitiet: ueluti, ſi ſacer codex adhibitus non ſit. Quemadmodum autem in reb.corporalibus & artificioſis formæ mutatio rem interimit, l. Iulianus, 9. §. 2. D. ad exhib. ſic in legitimis & ſollẽnib.actionib. ritus ac formæ prætermiſſio actum uitiat:l.fideicommiſſa,11.§. 1. De legat.3.l. qui teſtamento,20.§.& ueteres. D. de teſtam.l.ſi ueritas,33.C.de fideicom. l. cum ſi quibus,8.§.ſi prætor. D.de tranſact. niſi fortè ritus leuior ſit, aut ruſticitate non malitia prætermiſſus. l.1. §. ult. D. de uent. inſp. l. ult. C.de teſtam.Eoque pertin et illud Quintil. lib. 3. cap. 6. Eſſe aliquid natura æquum, ſed prohibitum iure, ut libertas teſtamentorum.

Ad l. 13.

Idem A. Iuliano P.P.

Sancimus omnes iudices (ſiue in hac florentiſſima ciuitate ſiue in prouincijs) ſi quando abſens perſona citata poſtea apparuerit, non aliter ei iudicialem aditum reuelare, ſed omnẽ claudere ei iudiciorũ copiam, niſi prius omnia

omnia dāna restituat ex huiusmodi uitio adversarijs eius inflicta, siue circa ingressus litis, siue circa honoraria aduocatorum, uel alias causas quæ in iudicio versantur: æstimatione iudicis quantitate eorum definienda, postquam iuratum ab eo fuerit qui fecit expēsas: executoribus negotiorum modis omnibus dispositiones eorum adimplētibus: scituris iudicibus nostris & executoribus, quòd si hoc prætermiserint, ex sua substantia huiusmodi detrimentum læsis resarcire compellētur. Quod & in pedaneis iudicibus obseruari censemus, licet non citati sed requisiti litigatores mala conscientia abfuerint. Dat. X. Kal. Maij, Lampadio & Oreste V V. C C. *Coss.*

Vt si alteruter è litigatoribus siue reus, siue actor, litē cōtestatam deseruerit, & Eremodiciū cōmiserit, semel aut iterū aut tertium citatus, tamen ante damnationē cōparuerit, tū iudex ante omnia eū in oēs litis sumptus aduersario restituendos condemnet: quorum sumptuū æstimatio prius aduersarij iurijurādo, pòst iudicis arbitrio cōmittetur: neq; prius ei regressum ad litigandū permittat, quàm aut sua sponte, aut ab apparitorib. & litis exsecutorib. coactus eos sumptus soluerit, qđ si iudex id facere neglexerit, ut illos sumptus omnes

omnes de suo resarciat. Quid igit' si post tertiũ edictũ absens condẽnatus compareat? Et puto distinguendum esse: utrum per contumaciã defuit, an non. nã si per cõtumaciã, lis mortua est, ut dictum est ad l. properandum, §. 1. neque ad eam regressus conceditur: sin minus, conceditur. l. & post, 73. §. ultim. D. de iud. Restat pars legis ultima, ut hæc obseruentur non tantùm si per contumaciam absens citatus, uerùm etiam simpliciter requisitus & denũtiatus sit. quia tres denũtiationes trium edictorum uicem obtinẽt l. 2. l. 7. l. 9. C. quom. & quãdo iud. Hæc autem lex corrigitur per Nouell. 82. de iudicib. §. ult. ubi statuitur, ut iudex uictori iusiurandum deferat, cum taxatione intra quam sua damna sumptusque litis uniuersos æstimet: & secundum illud iusiurandum & æstimationẽ iudex uictum uictori in expensas & damna condemnet.

Ad l. 14.

Idem A. Iuliano præfecto prætorio.

Apertissimi iuris est, licere litigatoribus iudices delegatos, antequam lis inchoetur, recusare: cum etiam ex generalibus formis sublimissimæ tuæ sedis statutum sit, necessitatem imponi iudice recusato partibus ad eligendos arbitros venire, & sub audientia eorum sua iura proponere. Licet enim ex imperiali nu-

mine iudex delegatus est: tamen quia sine suspiciõe omnes lites procedere nobis cordi est, liceat ei, qui suspectum iudicem putat, antequam lis inchoetur, eum recusare, ut ad alium curratur, libello recusationis ei porrecto: cùm post litem contestatam neq; apellári posse, ante definitiuã sentẽtiam iam statuerimus, neque recusari posse, ne lites in infinitũ extendãtur: eodem scilicet executore necessitatem partibus per ordinarium iudicem & omne ciuile auxilium imponente, & arbitros eligere, & ad eos uenire: & sic litem appetere, quasi arbitri fuerint ab imperiali culmine delegati. Quòd & si ab imperiali maiestate iudex delegatus nõ sit, sed ab alio culmine, obtinere censemus. Dat. V. kal. Maij, Constantin. Lambadio & Oreste V V. C C. Coss.

Quoniam de iudicum recusationibus hac lege sancit, paulò altius repetẽda ea disputatio uidetur. Ergo antequam Prætor iudiciũ daret, litigatores inter se de iudice cõueniebant. l. ex consensu, 23 D. de appell. l. obseruãdum, 47 l. si in iudicis, 80. D. de iudic. Cic. in Cluent. Neminẽ uoluerunt maiores nostri, nõ modò de existimatione cuiusquã, sed ne pecuniaria quidẽ de re minima esse iudicẽ, nisi qui inter aduersarios cõuenisset. Erãt aũt certę iudicũ decurię, certusq; illorũ ritu mer9 tum

tum in urbe tum in prouincijs, quos iudicijs dare operam oportebat, unde iudicandi necessitas dicebatur. in l. pen. §. quæ auté. D. de uocat. l. cũ qui, 13. D. de Iurisd. l. ult. §. iudicãdi. D. de mun. & honorib. l. duob. 30. D. de li. causs. Hi selecti dicebantur, ex quib. litigatores unum aut plures edebant, & si inter illos conueniebat, Prætor constituebat. Sueton. scribit, quartã iudicũ decuriã ab Augusto additã, quæ Decurionũ uocaretur, & de leuiorib. caussis disceptaret. quintã à Caligula, ut leuior labor iudicantib. foret. nam iudicãdi munus graue & incõmodum erat. l. ult. §. ult. De muner. Sexta etiã à Galba postulata est: sed eam recusauit. Videntur aũt illæ iudicũ decuriæ Gellij tempore in usu non fuisse, sic enim lib. 14. cap. 2. scribit: Quo primũ tempore à Prætorib. lectus in iudices sum, ut iudicia quæ appellantur priuata susciperem. Seneca lib. de benef. 3. Nõ potest ad hæc iudex sumi ex turba selectorũ, quem cẽsu in albũ & equestris hereditas misit. Nam eos ex censu constitui solitos, Plin. quoq; li. 33. testatur. Ac de prouincijs, Ciceronis testimoniũ exstat Verr. IV. Cęterarũ rerum selecti iudices ex ciuiũ R. conuentu proponi solẽt. Et mox: Selecti è conuentu aut propositi ex negotiatorib. iudices nulli. Idem Verr. V. Quid prætor; iubet recuperatorũ reijcere decurias. scribamus quas decurias? de cohorte mea reijci-

es, inquit. nã de conuentu nullũ unquam iu dicẽ nec recuperatorem dedit. Item alio loco: Cũ de Verris turpiſsimo comitatu, tres Recuperatorũ nomine aſſediſſent, aſſeclæ iſtius non à patre ei traditi, ſed à meretricula cõmendati. Item: Si ex omni copia conuentus Syracuſani ſplendidiſsimorũ hominũ faceres poteſtatem aratori, non modò reijciẽdi, ſed etiam ſumendi recuperatores: tamen hoc nouũ genus iniuriæ ferre nemo poſſet. Itẽ: Iudiciũ in aratorẽ in quadruplũ, ex quo iudicum numero? ex cohorte prætoris. quid amplius? minus te iugerũ profeſſum eſſe dico. Recuperatores reijce: Quod aduerſus edictum feceris. ex quo numero? ex eadem cohorte. Ex his aũt decurijs cum editi iudices eſſent, licebat litigatorib. eos reijcere, id eſt recuſare, quos ſibi iniquos fore putabãt. Pli. in Panęgyr. Sors & urna Iudicem aſsignat. licet reijcere, licet exclamare, Hũc nolo: timidus eſt. Vſitata etiã hæc fuit formula, Eiero, iniquus eſt: ut Pędianus teſtatur. Recuſationis aũt exemplum exſtat in l. ſi pariter, 9. D. de lib. cauſs. itemq; in l. 1. D. apud eum à quo appell. aliam cauſs. Cicero Verr. v. Præterea conuẽtus honeſtus Syracuſis: multi equites R. uiri primarij: ex qua copia recuperatores, reijci oporteret. Et mox: Negotiatores putãt eſſe turpe, id forũ ſibi iniquũ eiurare, ubi negotiantur. Tacitus in Dial. de orat. Ego uerò

antequam

antequam me iudicẽ Aper recuſet, faciam ꝙ probi & modeſti iudices ſolent, ut in his cognitionibus excuſent, in quibus manifeſtũ eſt, alteram apud eos partem gratia præualere. Nunc ut ad legẽ noſtrã accedamus, eius hæc ſententia eſt; Iudicem etiã ab Imp. datum, ob ſuſpicionem recuſari antè litem cõteſtatã poſſe, ac tum litigatores per litis exſecutorem cogi arbitrũ deligere. Hoc enim illud eſt, quod ait, recuſare iudices licerę antequam lis inchoetur, hoc eſt ante litem conteſtatam: l. ult. C. de ſent. & interloc. l. un. D. apud eum à quo app. al. cauſs. quoniã qui litẽ cõteſtatur, recuſandi cauſsis ſi quas habuit, renũtiaſſe intelligitur. l. 2. C. de iuriſd. omn. iud. Itaq; Nouell. 53. & 82. quę dies xx. dat ei qui in ius uocatus eſt, ad deliberandum, utrũ cedere an contendere debeat: totidem dies eidem concedit ad deliberandũ, an iudicem recuſare debeat. quod idem inculcatur Nou. 82. & Nou. 96. Iubet aũt recuſationis cauſſas in libello iudici porrigendo exponi, quod etiam apud acta Præſidis, uel Defenſorũ uel Duumuirorum fieri permittit. in l. ult. J. h. t. Quod uerò ait, iam antè prohibitũ, ne appellare ante ſententiam definitiuã liceret, referendum eſt ad l. ult. C. de ſent. & interloc. Iubet præterea, ut, recuſato iudice litigatores cogantur arbitrum eligere. quã ad rem triduum pręſcribitur in l. ult. J. h. t. Et additur, ut

per eundem exsecutorem cogantur, hoc est per apparitorem, qui liti exercēdæ & ad exitum perducendæ operā dat, uel cui imminē di litibus sollicitudo iniuncta est. l. in sacris, 12. C. de prox. sac. scrin. nam etsi Iudices delegati propriam apparitionem nō habeant, tamen ab ijs qui eos dederāt, accipiebāt. Nou. 90. & no. 99. Eorū aūt opera cōsumebatur in uocationib. in iudiciū. qua de caussa sportulæ illis dabantur. l. ult. C. de fruct. & lit. exp. §. triplici. De act. In litigatorib. absentib. requirendis. l. properandū. §. 1. 2. 3. s̄. h. t. in testib. citandis l. si quando. 15. D. de testib. In exsequēda sentētia. l. pē. C. de exse. rei iud. l. 5. C. quor. app. non recip. In pignorib. capiendis. l. exsecutores, 7. C. quæ res pig. obl. poss. Quantū aūt ad Arbitrū, iubetur is cōmuni consensu litigatorum eligi apud quē lis disceptetur. Itaq; Iudex quidē est & uerè iudex, quia pro eo habetur quasi delegatus esset, ab eo à quo Iudex recusatus datus fuerat, eandemque iudicandi formulam, & idē iudicandi tēpus obseruare cogitur, atq; ab eo appellandi ius est, quod ab arbitro nō permittitur. l. 1. C. de recept. arb.

Ad l. 15.

Idem A. Ioanni. P. F. P.

Certi iuris est, quòd concessa est etiam militaribus hominibus iudicandi facultas. Quid enim

enim obstaculi est, homines qui alicuius rei peritiam habent, de ea re iudicare? cum sciamus & militares magistratus, & omnes tales homines per usum quotidianum iam esse approbatos, ut & audiant lites, easq; dirimãt, & pro sui & legis scientia huiusmodi altercationib. finem imponant. Dat. kalẽd. Nouemb. Lampadio & Oreste V V. C C. *Coss.*

An militarib. hominib. iudicandi munus mandari possit. D.C.E. quoniam idem Imp. Nou. 82. multis uerbis demonstrat perniciosum esse iuris ac legum imperitis iudicandi Potestatem concedi. quamuis aliunde iuris eius quo de agitur peritiã mutuari possint. Itaq; sententię contra leges & Principũ constitutiones latæ ipso iure nullius momenti sunt. l. 2. C. quand. prouoc. non necess. Militares aũt homines magis armorũ quã legũ studio dediti sunt: l. ult. C. de iur. delib. C. T.R. duab. de caussis. primũ, quia non oẽs caussæ sunt de apicib. iuris, hoc est, nõ omnes iuris perplexam quæstionẽ cõtinent: sed interdũ eiusmodi negotiũ est, quod ab homine bene de mente constituto disceptari possit: si modò (ut tex. ait) rei qua de agitur, id est, facti peritiam habeant. Itaq; Imp. inquit usitatũ hoc fuisse, ut etiã militares homines iudicia exercerent. quod à Romanis Impp. stãte Repub.

fieri

fieri ſolitum ſatis conſtat, cum hyeme conuẽtus agerent, ut cum ex alijs libris, tum ex Cæſaris cõmẽt. cognoſci poteſt. Quod ſi dubiũ & perplexũ negotiũ eſt, & iuris quæſtionib. implicatũ, moris fuit, ut præſides quidẽ adſeſſores haberent, qui plerũq; de corpore iuris ſtudioſorũ ſumebantur, l. 2. D. quod quiſq; iur. cæteri uerò à Iuriſcõſultis conſilium exquirebant. §. reſponſa. de iur. nat. l. 1. C. Th. de reſp. prud. l. 2. in fin. D. de orig. iur.

FINIS.